

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Ionnes Crato Archiater

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

IOANNES CRATO ARCHIA-  
ter Cæsareus.



*Me Cæsar medicum sibi legit tertius; alter  
Ceu Phœbus, vates sum, medicus q. potens.*

M. D. XXCVL

IOANNES CRATO A CRAFT-  
heim, Vratislaviæ, vrbe Silesiorum prima-  
riâ, natus anno M. D. XIX:

Præceptore vsus maximè in Germaniâ Ph. Me-  
lanthone, in Italiâ Io. Baptista Montano  
Medico excellentiss.

Optimus & Philosophus, & Medicus, neque  
minus poeticâ laude & literarum elegantia  
vehementer excellens:

Cuius summorum suæ ætatis vel ingenio, vel  
dignitate, vel gratiâ, vel fama po-  
puli par:

Ferdinandi I. Maximil. II. Rodolphi II.  
AVGGG. Consiliarius & Archia-  
trus, per annos XXVI.

Politioris literaturæ Hierophantes:

Hygiæ ac Panacææ Mystes: Alter ceu Gale-  
nus, & Hippocrates:

Vtroque Medicorum principe scriptis suis  
egregiè illustrato clarus:

Propter insignem & elegantem doctrinam, cum  
pari humanitate erga bonos & eruditos  
coniunctam, carus omnibus,  
ac venerandus:

Obijt Vratislaviæ in patriâ sine beato & opta-  
to, annum agens LXVII: anno Sal-  
hum. M. D. XXCVI.

b ij

IN IOANNEM CRATONEM  
Cæsar. Medicum.

IOANNIS POSTHIL.

*Cæsaris effigiem magni, effigiemq; Cratonis  
Qui confert, similes protinus esse videt.  
Quod si animum posset diuinum effingere pictor:  
Idem, ut credibile est, planè vtriusque foret.*

E I V S D E M.

*Si, quibus est similis facies, similis quoq; mens est:  
Cæsaris haud differt, & tua, docte Crato.*

IOAN. BARTHOLOMAEI.

*Prima tenet medica Crato iam subsellia classis:  
Et talem meritò Cæsaris aula fouet.*

AEGID. PERIANDRI.

*Qui flectit citharam, venit en manifestus Apollo:  
Si depromit opem, fidus Apollo venit.*

N. REVSNERI.

*Laudibus es quamvis magnum super ethera notus.  
Aeternumq; tuâ nomen ab arte geris:*

*Dum, veluti præstans Asclepius, arte medendi  
Mortiferâ relevas corpora multa lue.*

*Tu tamen & vatum studijs es fautor & auctor:  
O Phœbi lumen, præsidiumq; Crato.*

*Et meritò: mentis prudentis acumine cernis:  
Quod vivax virtus, carmine nota, manet:*

Car-

*Carmina morte carēt, et carmine cognita virtus:  
Carminibus regum viuit in orbe decus.  
Perge precor Musis, Crato semper perge fauere:  
Te quoque non paruum iam decus inde manet,*

**E I V S D E M.**

*Quò maior Cæsar, terrarum rector, habetur:  
Hòc medicis reliquis tu Crato maior eras:  
Cæsaris Archiater magni, non vnus: immò,  
Proxima quos mundo secla tulere, trium.  
Tantus eras medicâ, Sophia tam clarus in arte:  
Tamq̃, bonus melicâ, quã medicâ arte potens.  
Cæsaribus potes ipse mederi: ritè mederi  
Sed potes haud, quando mors venit atra, tibi.  
Mors equidem terram terræ, cœleste sed insert,  
Cælo: fama tua laudis in orbe volat.*

**CHRISTO VIVO SACRVM.**

*Cæsaribus vixi tribus intimus arte medendi:  
Me Pater asciuit, Filius, atque Nepos.  
Quem mihi iactato das portum Christe quietis  
Hunc teneo, iungas dum mea membra tibi.*

*Ioan. Crato.*

*b ij*